



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

XXIII. Markgraf Ludwig berfreiet das Kloster und die Gutseingessenen des Klosters Marienwalde, um diesem seine Verlegung zu erleichtern, von allen Abgaben, am 13. Oktober 1346.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55359)

XXII. Markgraf Ludwig verschreibt dem Palatin von Bosen, falls die begonnenen Freundschaftsverhandlungen mit Bosen ihren Fortgang haben werden, 200 Mark Silber, welche aus der Stadt Arnswalde bis zum Abtrag verzinst werden, Anfangs August 1345.

Nouerint etc. Quod nos Ludovicus etc. consideratis meritis et fidelibus obsequiis nobis per nobilem virum nycolaum de Bechowe, palatinum pozenaniensem, quodammodo exhibitis et adhuc in posterum fideliter exhibendis, nec non fidelitatis promisso nobis prestito eidem suisque heredibus legitimis, de mera mentis nostre beniuolentia, deputauimus, assignauimus, deputamus et presentibus assignamus XXX^a. marcas argenti Brandenburgensis et ponderis annuorum reddituum tollendas et percipendas in pensione ciuitatis nostre arnswold, quarum singulis annis quindecim in festo beati martini, et quindecim in festo beate walpurgis deinceps subsequentes tollere debebit, inpedimento quolibet procul moto, tam diu, quousque nos, heredes aut successores nostri sibi vel suis heredibus in CC marcis argenti Brandenburgensis satisfecerimus, dictas XXX^a. marcas pro premissa pecunia non subdefalcationis titulo exfoluendo. Talem approbantes deputationem per presentes, vt premititur, si inter illustrem fratrem nostrum kazimirum, regem polonie atque nos processum habuerit amicitia preconcepta. Volentes quoque, ut aduocatus noster presens ibidem, seu qui pro tempore fuerit, prenotato nycolao de Bechowe et suis heredibus, si pretacte ciuitatis nostre arnswold pensio cuiquam deputata foret vel esset, de aliis terrarum nostrarum obuentionibus annue temporibus preexpressis memoratam pecuniam det, porrigat et ministret. In cuius etc. Testes, Wolfsteiner, Swyker, Hufener, Lochin, Bombrecht magister coquine, Satzenhofer, Otto de Helbe cum ceteris. Datum Kopanitz, anno XLV. post octauam sancti Jacobi.

Aus einem Copialbuche des Geh. Staatsarchives (I. C. 4. in quarto).

XXIII. Markgraf Ludwig befreiet das Kloster und die Gutseingesessenen des Klosters Marienwalde, um diesem seine Verlegung zu erleichtern, von allen Abgaben, am 13. Oktober 1346.

Ludovicus etc. honorabili viro fratri abbati et conventui monasterij Marienwold, ordinis Cisterciensis, Caminensis diocesis, deuotis sibi dilectis, gratiam suam et omne bonum. Ad releuandum egestatis et inopie vestre onera, quibus vos perplexos fore nouimus, et eciam ut monasterium vestrum, prout concepistis, transponere eo commodius possitis et valeatis, vos et vestros subditos colonos et pauperes quoscunque, in bonis monasterii vndique residentes, a festo beati Martini proxime venienti vltra per V annos continuos ab omni dacione et onere cuiuslibet seruitutis qualitercunque nominate uel faciende et seruicio curruum libertamus, sic quod nec nobis nec vlli officiatorum nostrorum in aliqua dacione nec seruitute dictis V annis durantibus aliquatenus teneantur. Volentes eciam homines noualium vestrorum, si que alia excolitis et plantatis, sic quod homines in eis resideant, sine lesione qualibet eciam ipso durante tempore gaudere predicta libertate et gracia

feu potiri. In cuius etc. Testes Burggravius, Hufener, Wolffstein, Lochen, Helo, Ost.
Datum Noua landesberg, Anno M^o. CCC^o. xlvj^o. sabbato ante galli.

Aus einer Gackwig'schen Abschrift und der Dietmann'schen Sammlung f. 88.

XXIV. Markgraf Ludwig ermäßigt die Zehede der Stadt Arenswalde und bestätigt der Stadt den Besitz des Hufenzinses, der Mühle und des Dorfes Schultendorf, am 24. September 1348.

Noverint universi presentes literas inspecturi, quod nos Ludovicus, dei gracia Brandenburgensis et Lusacie Marchio, comes palatinus Rheni, dux bavarie et carinthie, sacrique romani imperii archicamerarius, Tyrolis et Goricie comes, pensata fideli constantia discretorum virorum consulum et univerforum civium civitatis nostre Arenswold, fidelium nostrorum dilectorum, nobis hactenus exhibita et adhuc in perpetuum nobis et nostris heredibus fideliter exhibenda, eisdem consulis et univerfis civibus presentibus et futuris de vera ipsorum annua pensione, quam nobis ab antiquo dare consueverunt condescendimus meritorum suorum consideratione, sic quod nobis, heredibus ac successoribus nostris in debita ipsorum pensione annua octuaginta marcas argenti bene dati singulis annis duobus anni temporibus, videlicet in festo beati martini quadraginta marcas et in festo beate walpurgis quadraginta marcas dicti argenti tantummodo debeant erogare, dantes nihilominus solennique donacione donantes dicte civitati nostre Arenswold iusto proprietatis titulo censum manforum super omnibus mansis, ad dictam civitatem pertinentibus, nec non proprietatem ville Schultendorp eidem civitati adjacentis, sic quod idem census cum predicta villa ad memoratam civitatem cum omnibus metis suis ac etiam molendino inibi situato, agris cultis et incultis, aquis, pratis, pascuis et singulis iuribus, ulibus, fructibus, obventionibus et pertinentijs suis quibuscunque pertinere debebunt temporum cursibus sempiternis. Renunciantes solenniter omni iuri et actioni, quod vel que nobis et heredibus nostris competebant, competunt aut competere possent in premissis censu et villa quolibet in futurum. In cuius testimonium presentes literas sigilli nostri appensi munimine fecimus communiri. Testes huius sunt strenui viri Hasso senior de Wedel, Albertus de Wolffstein, Beteco de Osten, Hasso de Falkenburg, Tide de Brederlo milites, et Henningus de Uchtenhagin cum ceteris pluribus fide dignis. Datum Tanckow, Anno domini MCCCXL octavo, feria quarta ante diem sancti Michaelis Archangeli.

Aus Dietmann's Urkunden-Sammlung des Königl. Geheimen Staatsarchives f. 107.